



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. An, & quomodo liceat occidere malefactorem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

vel passione gravissimæ tristitiae, turbata phatasia, id fecerunt, vel qui ante mortem verè de hoc do-
luerunt. Quod si constet quempiam se ipsum oc-
cidisse, & dubitetur utrum deliberatè, an ex animo
turbato factum, in praxi privatur sacræ sepulturæ,
cum præsumatur secundum opus exterrnum volu-
tarie esse factum: nisi tamen ex circumstantiis con-
trarium colligatur. Si vero dubitetur, à seipso, an
ab alio, v.g. sit præcipitatus in aquam, delictū tam
atrox & contra naturam non præsumitur sine evi-
dentiis. Molt. 3. di. 20. v. Lay. l.c.n.8.V. etiā
Escob. E. 7. c. 8. ubi dicit, eum qui moritur ex vulne-
re in duello accepto, si vivus ex loco discessit, non
esse privandum sepulturæ Ecclesiasticæ.

DUBIUM II.

*An ē quomodo liceat occidere male-
factorem?*

Resp. Extra causam necessariæ defensionis, de
quo infra, nulli id licet, nisi authoritate publica, &
juris ordine servato, ut patet Exod. 12. Rom. 13. Un-
de resolvetur.

I. Non licet marito uxorem, aut patri filiam oc-
cidere in adulterio deprehensas: quia ad id non ha-
bent auctoritatem publicam: & leges civiles id
permittentes, à Jure Canonico sunt correctæ, tan-
quam iniquæ. Secus est de proscriptis, quos occi-
dendi cuivis authoritas publica datur: idque non
injustè, cum ad Republ. defensionem sit necessari-
um. Peccant tamen, qui non ex zelo justitiæ, sed
odio, aut privatæ vindictæ causa faciunt, v. Laym.
L. c. 2.

II. Pcc.

II. Peccat Princeps, vel Magistratus, (regulariter loquendo) ut *v. infra l. 5. c. 3. dub. 1.* qui occidi jubet eos non citatos, vel non auditos, vel non damnatos, et si privata scientia constet esse nocentes, quia ex jure naturae actus publicus fieri debet ex scientia & authotitate publica, *vid. Cajet. V. homicidium. Fil. tr. 29. cap. 2. q. 6. n. 27. Bon. l. c. p. 1. n. 7. v. & infra l. 5. c. 3. d. 1.*

DUBIUM III.

An, & quomodo liceat occidere privata authoritate iniquum aggressorem?

Resp. Jus naturae permittit, ut vim vi repellas, & aggressorem, qui iniquè eripere tibi conatur vitam, aut quæ ad eam honestè agendum tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integratatem, prævenias & occidas: ita tamen, ut id fiat animo te defendendi, & cum moderamine tutelæ inculpatæ; hoc est, non inferendi majus damnum, nec utendo majore vi, quam necessarium est ad arcendam injuriam. *Ita commun. S. Thom. q. 74. a. 7. Mol. & c. Less. dub. 8. n. 44. Unde resolves.*

I. Non licet reo occidere ministros justitiae, à quibus ad carcerem, vel supplicium trahitur: ut nec licet id proscripto, ut notat ex communi Lay. l. 3. t. 3. p. 2. quia non sunt inqui aggressores.

II. Etsi ob contumeliam aliquam, v.g. si viro honorato dicatur, *mentiris*, non liceat alterum occidere, eò quod aliter repelliri possit, ac soleat, *Less. Ann. Hart. & c. Dia. p. 5. t. 4. & 12. & 13. licere tamen,*